



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

5. De Ripensi Monasterio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

## DISSERTATIO QUINTA.

## De Ripensi Monasterio.



Ripis (aliàs Inripum) locus est in Northumbriâ in quo Monasterium habuerunt Scotti Monachi, qui cum de Paschatis obseruatione heterodoxè sentirent, præ pertinaciâ maluerunt locum deserere, quam se pati corrigere. Ijs abeuntibus ab Alfrido filio Oswij Regis Northumbrorum attributus est B. Wilfrido, in Gallijs impiæ Bathildis reginæ furij crepto, & in Angliam refugo circa annum Domini 660. Construxit is de nouo ibidem Monasterium, Proceribus Regni amplissima dona conferentibus. In eo ordinatus est Presbyter & Abbas. Episcopus postmodum Eboracensis creatus, mirificè illud adauxit ædificatâ à fundamentis nouâ Ecclesiâ, miro fornicum inflexu, lapidum tabulatu, porticum anfractu. Invitati ad eius consecrationem Reges Germani Egfridus & Elwinus, dotauerunt locum illum ingentibus prædijs. Post aliquod tempus, deiecto ab Episcopatu Eboracensi Wilfrido, Alfridus Rex ex amico factus inimicus, Monasterium Ripense proprijs possessionibus mutilans, Episcopum ibi constituere meditabatur, & iam antea Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis Episcopum imposuerat. Quare etiam sedes Episcopalis legitur habitum, quæ tamen non longo tempore perstitit, monasterio interim perseuerante. Cuius Ordinis illud Monasterium fuerit, nihil certi habeo quod dicam: verosimile est Monachos eius inhabitatores, siue in primâ fundatione

ditione, siue posteriori, sub D. Benedicti Regula militasse, cum legatur Wilfridus fuisse primus qui S. Benedicti Regulam à Monachis obseruari iusserit, quod ad minimum intelligendum est de Monachis Northumbriæ. Credendum autem est eandem Regulam suo quod fundauerat Cœnobio præcepisse. An fuerint Benedictini prout strictè vocantur, hinc non potest certò doceri; potuit enim Monachos ex alijs Northumbriæ monasterijs assumpsisse, & postmodum inter illos Regulam S. Benedicti introduxisse. Constat etiam alios Monachos non Benedictinos Regulam S. Benedicti coluisse & colere, vt modò sunt Cistercienses, Cluniacenses &c. qui tamen speciali nomine Benedictini non sunt.

Vti fundator, ita eius monasterium varias fortunas subiit, tum ab intestinis Anglorum bellis, tum à Danis ab anno 787. per plures annos Britanniam infestantibus, præterquam quod nonnumquam etiam iniquitate Regum Northumbriæ possessionibus mutilaretur. Anno 692. ablatum fuit Wilfrido à sibi inimico Rege Northumbriæ Alfrido, ac eo mortuo, eidem restitutum anno 705. Anno 708. seu 709. defuncti B. Wilfridi corpus in illud deportatur, & omni reuerentiâ conditur. De eodem Monasterio hæc leguntur apud Rogerium Houeden Annalium parte priori: *Anno 786. Boswine v. Abbas Hripensis Ecclesia, in conspectu astantium fratrum ad cælestem patriam transiit, & Albert pro eo electus est & ordinatus. Anno 787. Albert Abbas Hripensis decessit & ei Sigrede successit. Anno 790. Eardulf Dux captus est & ad Hripum perductus ibiq. occisus extra portam Ecclesia à Rege Ethelredo. Cuius corpus fratres cum Gregorianis concentibus ad Ecclesiam portantes & in tentorio foris ponentes, post mediam noctem vivus est in ecclesiâ inventus. Anno 948. Edredus Rex Anglorum totam Northumbriam deuastat, in quâ deuastatione Monasterium,*

D

quod

quod dicitur Hripum à S. Wilfrido Episcopo quondam constructum, igne est combustum. Reparatum tamen est & habitatio continuata; sed non longè post à Danis funditus pænè deletum; post quã cladem non videtur resurrexisse; nam exinde apud Historicos de illo extante non amplius legitur. Ac circa annum 956. teste Malmesburienti de gestis Pontific. Anglorum lib. 1. Odo Archiepiscopus Cantuariensis in Northumbros profectus, vt Sanctorum sacros cineres, quorum illa humus olim ferax fuerat, efferret, præcellentissimi P. Wilfridi dirutã per Danos Hripensem Ecclesiam dolenter conspicatus, ruinis super mausoleum eruderatis, Reliquias eiusdem Wilfridi Cantuariam reuenter transtulit. Hæc in gratiam S. Wilfridi, qui antè Willibrordum Frisij Christum annuntiauit, Ripensis Fundator, Abbas, & quidem Willibrordi, fuit, qui eiusdem Coenobij alumnus, in eo prima sanctitatis, doctrinæ & Apostolatus fundamenta iecit. In eo

Ille velut riguæ quæ margine confita ripæ est  
Arbor erat, quam non violento Sirius æstu  
Exurit, non torret hyems, sed prodiga lato  
Prouentu beat agricolam, nec flore caduco  
Arridens, blandâ dominum spe lactat inanem.

In hoc Monasterio asceram etiam egisse S. Werenfridum S. Willibr. cõapostolum, asserit author antiquitatum Germania inferioris patriã linguã nuper editus. Vt meritò Ripense Monasterium gratæ memoriæ debeat esse Frisij. Num in eodem, aut in quo alio reliqui S. Willibrordi conuigatores religiosè se primò exercuerint, non legimus. S. Bonifacij primum exercitium ibi non fuisse, habemus ex Othlono lib. 1. cap. 3. vbi ait, patrem puerum Bonifacium ad Monasterium Adescancastre direxisse ibiq; omnia religionis officia bene coepisse meliusq; de die in diem eum perfecisse.

DIS